illa triumphabat, iſta queritur, lamentabilis certè
uox est Aſini Ia Ia, quid enim Ia niſi Deum apud
hæbreos intonat, ſed unde hoc? non malè hæc uox
Aſino conuenit, quia (ut ſupra meminimus) ſemper
Deum inclamat, ut onus à ſe tollere, aut ſaltem
alleuiare aliquando aggrediatur, ſed fruſtra, quia
illa (Deorum uox) reclamat; Virga et onus Aſino,
est praeterea uox tam rauca, et aſpera, et ideo
valdè etiam ingrata, et imprimis Buſiritis, et
Lycopolitis apud quos tubis canere uetitum fuiſ=
ſe traditur, eò quod ſonum redderent Aſininum
ipſi enim Aſinos exitiali odio proſequuntur, unde
facillimè mihi perſuaseò aſino non ineſse uoluptatem
cum munera, et dotes ad muſicam deſint, unde meritò
ortum est illud prouerbium, Aſinus ad Lyram, claram
eſse uocem Aſini quis est qui ignoret? ſed Aſino
conferre uidetur nihil, ſtultè enim agit, qui uer=
borum ampullis, claritate uocis, proceritate corpo=
ris, aliiſue eiuſdem dotibus animi uirtutem
metitur, unde et in Sacris Euangeliorum libris ſecun=
dum faciem aut exteriora prohibemur iudicare,